

Annalium Bertinianorum auctores inde ab anno 830. SS. I, p. 419.
rebus quarum memoriam posteris tradiderunt coetaneos et Hludowici imperatoris ac Karoli Galliae regis imperio subditos fuisse, cum universa operis ratione, tum locis nonnullis¹, qui maiore id evidentia ostendunt, datur intelligi. Prioris partis auctor, qui maiorem imperatoris venerationem, addito ei semper domni titulo, prae se fert, stylo impeditiore et dicendi genere minus claro et castigato utitur, quippe qui e. g. vocem hostis pro exercitu, hostiliter pro exercitiliter², perdonare³, deponentia et activa pro passivis⁴ et passivum pro activo⁵, indicativum pro coniunctivo⁶, plusquamperfectum pro imperfecto⁷, verbum habere pro perfecto⁸, debere pro futuro⁹, usurpet. Vivente eum adhuc imperatore scripsisse, verba a. 832. sicut ei mos est testantur, medio anno 835. operi finem imposuisse, diversa exinde scribendi ratio evincit. Nomen eius pariter ac conditionem ignoramus; citra tamen Carbonariam vixisse a. 834. apparet¹⁰. Annis 741—829. annales Laurissenses cum Einhardi continuatione ad verbum exscripsit, insertis tantum a. 749. 750. et 754. tribus haud magnae molis notitiis. Annorum 830—835. historiam medias inter res praesens composuit. Secundam operis partem Prudentio, claro olim Trecen-

1) *E. g. anno 836: ac nostra ex parte firmatum; a. 849: cui Ingmarus . . praesidet; a. 862: qui Salomon duce habitant in Niustria; a. 867: gener Salomonis, cuius consilio plurimum utitur; a. 869: aliis exeniis quae regnum illius admodum gravant.* 2) *A. 830. 832. 833.* 3) *A. 834; Itolorum 'perdonare', Gallorum 'pardonner'.* 4) *A. 831. 832. 833.* 5) *A. 832.* 6) *A. 832: cum Mogantiam venit; cumque . . cognovit; cumque . . pervenit.* 7) *A. 834: ut . . reliquisset; qualiter . . potuisset; ut . . illi concessisset et ut . . reverteretur.* 8) *A. 834 quae dicta habuerat = quae dixerat.* 9) *A. 832: illi promissum est . . ut omnes . . ei auxilium ferre deberent.* 10) *Certe hoc loco citra non eo sensu dictum puto, quo postea cum cis coniunctum (cis citra-que) ponitur (= ultra), cum Prudentius saepius ultra et citra coniungat (a. 838. 841. 843). Neque tamen cis Rhenum, sed in Belgica scripsisse putandus est. Cf. Monod, 'Revue critique' 1872, p. 264. G. W.*

sium episcopo, deberi, ex Hincmari Remensis epistola 25. ad Egilonem archiepiscopum Senonensem directa¹ intelligitur, qua ita scribit: domnus Prudentius in annali gestorum nostrorum regum, quae composuit, ad confirmandam suam sententiam, gestis anni dominicae incarnationis 859. indidit dicens: 'Nicolaus pontifex Romanus de gratia Dei et libero arbitrio, de veritate geminae praedestinationis et de sanguine Christi, ut pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmat et catholice decernit'; quod per alium non audivimus, nec alibi legimus. Unde, quia ipsa gesta, quibus haec conscripta sunt, iam in plurimorum manus devenerunt, necesse est, ut taliter de hoc domno apostolico suggeratis, ne scandalum inde in ecclesia veniat. . . . Ipsum autem annale quod dico, rex habet, et ipse est ille liber, quem coram vobis in ecclesia, ubi vos nobis commendavit, coram vobis ab illo mihi praestitum ei reddidi. Verba ab Hincmaro relata, in annalibus nostris sub finem anni 859. leguntur. Cum vero Prudentius anno 861, ut ibi paulo post habetur, obierit, certe ultra eius anni initium opus suum producere non potuit. Doctissimus olim abbas Lebeuf peculiari ea de re dissertatione² commentatus, reliqua inde ab a. 861. a prioribus plane diversa esse probavit. Et primum quoad singulas voces, Prudentium ex Hispania oriundum, patrio more, quotiescunque occurrat³, non epiphaniae sed apparitionis Domini festum dicere, res Francorum et in universum christianorum nostras vocare⁴, si qua res poscat, non vocem hostis sed Romano more exercitus adhibere, utque ex Iulii Caesaris commentariis et Itinerario Antoniniano didicerit, urbes Galliae veteri appellatione Agedincum Senonum, Augustam Trecorum, Augustam Trevirorum, Augustam Veromanduorum, Caesarodunum Turonum, Durocortorum Remorum, Samarobrivam Ambianorum, Lotitiam Parisiorum, Tullum Leucorum nominare, dum contra a continuatore operis post annum 861. semel tantum Durocortorum Remorum adhibeatur, et vox hostis loco exercitus⁵ genere masculino et feminino, et honores⁶ loco beneficia feudalia⁷ apud eum occurrant, proposuit. Porro Prudentium non solum Hispanica plurima referre⁸, sed in omnibus quae memoratu digna contigerint, mutationibus solis et lunae⁹, cometis¹⁰, aurora

1) Hincmari Opera II, p. 292. 2) 'Dissertations sur l'histoire ecclésiastique et civile de Paris'. Paris. 1739. p. 432—499. 3) A. 838. 839. 840. 842. 4) A. 836. 837 bis. 838 bis. 839. 845. 847. 849. 850. 5) A. 865. 866. 867. 872. 873. 875. 880. 6) Prudentius semel a. 839. de honoribus beneficiarum loquitur. 7) A. 865. 866. 869 bis. 872. 882. 8) A. 839. et 847. de Puotone; 844. 847. 848. 849. 852. 858. 859. 9) A. 838. 840. 860. 10) A. 855.

boreali¹, pluviis et tempestatibus², terrae motibus³, exundationibus aquarum⁴, fulminibus⁵ hieme et pestibus⁶, fame⁷ et luporum devastationibus⁸ describendis versari, et res ecclesiasticas leviter tantum et verbis antiquitus usitatis attingere⁹, et omnia, bona malave, animo pio et benigno divinae omnipotentiae libenter adscribere¹⁰, quibus omnibus omissis, continuatorem id maxime agere, ut, quantum necesse fuerit, historiam Karoli regis, ceterum ante omnia Hincmari Remensis archiepiscopi gesta, nullis praetermissis, quam latissime exponeret. Quod cum cuilibet inspicienti pateat, nec, ut Prudentium¹¹, ita continuatorem quoque summis in ecclesia gradibus sublimatum fuisse¹², dubitare liceat, et complura, quemadmodum Prudentio Treca aut aliam in Senonum atque Autissiodori vicinia¹³, ita tertiae partis auctori Galliam Belgicam et Remos sedem adsignent¹⁴, annalium inde ab a. 861. auctorem ipsum Hincmarum fuisse, extra dubium venit. Ita iam ante abbatem Lebeuf cardinali Fleury et episcopo De la Ravalliere persuasum fuit; et quicumque eam annalium partem attentius evolverit, archiepiscopi illius, non solum in iure canonico, sed et in rebus ipsis suo tempore gestis versatissimi, ingenium minime desiderabit; et quaedam ab eo allata vix cuiquam praeter Hincmarum nota esse potuerunt. Eiusmodi sunt, quae a. 867. de clericis peregrinorum habitu a Hincmaro Romam ablegatis, de die quo Hincmarus papae epistolam accepit regique Carolo legit, et a. 882. de Hincmari fuga Sparnacum refert; et quisnam praeter Remensem archiepiscopum contentions de primatu Galliae inter Hincmarum et Ansegisum a. 876. tam late exponendae curam suscipere voluisset? [Denique Richerus Remensis luculento testimonio, Hincmarum Annales sua usque tempora perduxisse, probat].

Quae cum ita sint, facile quoque intelligitur, cur locus de Gothescalco, quem, qualis hodie in Annalibus a. 849. exstet, a Prudentio scribi non potuisse viri docti existimant, eam in speciem mutatus sit. Hincmarum enim ex sententia sua librum suo usui destinatum correcturum fuisse, re ipsa patet, nec est quod vel leviter in eo reprehendi possit. Abbas

1) A. 839. 859. 2) A. 846. 858. 3) A. 842. 849. 4) A. 839. 846, cf. 858. 5) A. 858. 6) A. 856. 860. 7) A. 843. 8) A. 846. 858. 9) A. 837. 846. 853. 859. 10) A. 839. 843. 845. 848. 850. 853. 858. 11) A. 846. 12) A. 865. 872. 13) A. 841. 846. 858. 859. 14) Cf. quae a. 862. 866. 871. 877. de Transsequanans, a. 870. de Karoli vastationibus in Belgica, et a. 880. de Ludowici regis itinere ab Aquis in istas partes, usque ad Duziacum, Attiniacum, Ercuriacum et Ribodimontem affert, quorum tria priora in dioecesi Remensi sita, vigintiquinque, undecim et quinque tantum leugis Remis distant.

Lebeuf in editione Bouquetiana loci, qualem a Prudentio profectum fuisse existimat, restituendi periculum fecit; cuius sententiam infra quoque referemus.

Quodsi de operis fide quaerimus, magnam ei in universum auctoritatem tribuendam, Hincmarum vero, in rebus praecipue suis, maiore circumspectione consulendum esse, ex superioribus patet. G. H. PERTZ.

Hos annales sub imperatoris Ludovici et regis Karoli Calvi auspiciis scriptos esse, ut seriem annalium publica auctoritate susceptorum continuarent, alii contenderunt, alii in dubium vocaverunt¹. De qua quaestione hic agere supersedeo, lectores ad ea remittens quae V. Cl. Wattenbach² exposuit. Recte enim monuisse videtur, episcopos Galliae, et praesertim Hincmarum Remensem minime regibus ita addictos fuisse, ut res in eorum favorem vel mutarent vel tacerent. Neque inter turbines, quibus regnum Francorum ultimis eius annis obrutum erat, hos annales in aula servatos esse, sed Hincmarum, qui fere usque ad vitae terminum eos continuavit, codicem secum habuisse, etiam Remis profugum, ut Nortmannorum impetum evaderet, asportasse³, post vero eo reduxisse, putarim.

Hincmaro vivo in epistola synodi Carisiacensis (a. 879) quaedam ex Annalibus sunt sumta⁴. Postea Flodoardus in Historia Remensis ecclesiae componenda eis usus est⁵; Richerus librum quem conscripsit ab eo tempore incipiendum iudicavit quo Hincmarus calamum deposuit⁶. Qui in monasterio S. Bavonis Miracula sancti conscripsit et Lambertus Sancti Audomari canonicus in genealogia comitum Flandrensium⁷ ex Annalibus nonnulla mutuati sunt. Praeterea auctores Chronici Vedastini, Annalium Mettensium⁸ et Continuationis Aimoini Historiae Francorum in monasterio S. Germani Parisiensi additae magnam eorum partem descripserunt, ita ut saeculo XI. compluria libri exemplaria in Gallia et Lotharingia extitisse necesse sit. Rhenum vero hic liber, quod scimus, numquam transgressus est, et duo tantum codices iniqua saeculorum fata evaserunt.

1) *Codex bibliothecae publicae Audomarensis nr. 706,*

1) Cf. Noorden, 'Hinkmar' p. 153, n.; Girgensohn, 'Prudentius und die Bertinianischen Annalen' 1875. 2) 'Geschichtsquellen' ed. 4. I, p. 239 sqq. 3) Ita iam Noorden p. 401. 4) Cf. SS. XIII, p. 471, n. 4 (ubi legas velim: similiter in Ann. Bert. a. 834. leguntur); p. 472, n. 2. 7. 5) Ibid. p. 479. 507. 6) Praef.: Cuius rei initium a vicino dudendum existimavi, cum res multo ante gestas divae memoriae Hincmarus . . . suis annalibus copiosissime annexuit. 7) SS. IX, p. 309. 8) Annis 830—837; v. Duchesne III, p. 300.

olim cum nr. 697. coniunctus, membr., saec. X. satis eleganter duabus manibus exaratus, quarum altera duos tantum quaterniones (e et f), cum initio horum annalium, altera maiorem tam voluminis quam annalium partem conscripsit. Praemittuntur alia opera historica, Eutropius, Marcellini chronicon, Gregorius Turonensis recensionis C, Fredegarius, Annales Laurissenses maiores, ita ut grande et continuum historiae opus hic collectum exstet, sive ab ipso librario sive ab altero quodam, cuius laborem hic sibi appropriavit. Certe vel Remis vel ex Remensi codice hoc factum est exemplum, quippe quod in fine Odelrici archiepiscopi et cleri Remensis chartam, anno vero 789. in margine notam de Tilpini archiepiscopi obitu (Hoc vero anno, ut computatum est, depositio fuit domni Tilpini episcopi 3. Nonas Septembris) addiderit¹. Librum a Bethmanno inspectum ('Arch.' VIII, p. 80. 414) in usus nostros accuratissime contulit b. m. Ioh. Heller. Ex eodem², tunc monasterii S. Bertini codice, 'cuius exemplar cura R. P. Heriberti Rosweidi soc. Iesu descriptum est et a Ioanne Bollandi eiusdem soc. Antwerpia transmissum', primus Franciscus Duchesne Annales edidit (Historiae Francorum SS. III, p. 150—261), eius lectionem satis accurate exprimens. Hanc editionem Muratori (SS. R. Italicarum II, p. 491) repetivit, Bouquet (SS. R. Gallicarum et Francicarum T. VI. VII. VIII), nova codicis Bertiniani collatione accepta, nonnullis locis emendatam proposuit.

1 a) Codex bibliothecae publicae Bruxellensis nr. 6439—6451, olim S. Vedasti Atrebatensis³, post collegii societatis Iesu Antwerpiensis, membr. saec. XI, qui eadem opera quae codex 1 continet, ex hoc procul dubio descripta, praeterea Annales Laurissenses minores et Vedastinos aliaque, quae SS. II, p. 192. recensentur, ubi Pertz praecipuas huius libri lectiones enotavit, quae ipsius originem satis produnt⁴, ita ut nihil fere fructus ex eo percipere potuerimus.

1) In dorso ultimi folii haec leguntur, teste Lebeuf: Karolus Martellus, pater Pippini genitoris Karoli Magni, primus decimas ab altaribus divisit et militibus tradidit, unde eternam damnationem incurrit. Quae recentioris aetatis esse videntur. 2) Hoc Pertz probavit contra diversam sententiam quam Lebeuf sustinuit, 'Hist. de l'académie des inscriptions' T. XVIII, p. 274 sqq. Singulis lectionibus, praesertim loco a. 843. eraso et a Duchesno omisso (sed in altero codice servato) confirmatur. Cf. etiam Dehaisnes p. VII, n. 3) Ita 'Archiv' VIII, p. 401. et Arndt in Gregorii Turonensis editione p. 26. Dehaisnes quidem p. II. codicem in monasterio Lobiensi compilatum diuque servatum dicit, perperam, ut videtur, Pertzii verbis, SS. II, p. 192, intellectis. 4) Neque Monod assentire possum, qui l. l. p. 247. 1 et 1^a ex communi fonte manasse statuit.

2) *Codex Chronici Vedastini in bibliotheca publica Duacensi nr. 753. nunc servatus, de quo SS. XIII, p. 674 sqq. agitur. Magna Annalium pars in hoc chronicon transiit, nunc vero, quaternione evulso, anni 830—844. tantum exstant. Auctor librum quem prae manibus habuit tam fideliter expressit, ut fere codicis locum expleat, et quamvis plerumque etiam in mendis apertis cum 1 conveniat, non tamen hoc usus esse potest, cum nonnulla rectius et plenius exhibeat.*

Ex 1 et 2 novam editionem paravit C. Dehaisnes Parisiis 1871; quam iustis votis parum respondisse, G. Monod ostendit ('Revue critique' 1872, nr. 16; cf. quae monui 'Gött. Gel. Anz.' 1873, nr. 1). Nonnullis tamen eius adnotationibus usus sum, alias ex Bouqueti et Pertzii editionibus retinui; praeterea libros a VV. CCl. Simson et Dümmler de horum annorum historia conscriptos et quae Monod (l. l.) exposuit consului. Ad codicum vero lectionem emendandam eos adhibui auctores qui Annales posteriore tempore exscripserunt, praesertim Aimoini continuatorem, qui inde ab a. 869. presso pede eos sequitur. Codicem Parisiensem nr. 12711. autographon in hunc finem V. Cl. A. Molinier diligenter excussit, ita ut nunc demum de vera eius lectione, ab editis valde diversa, referri potuerit. Acta publica ab Hincmaro narrationi inserta cum exemplaribus alibi servatis contuli, neque tamen ea emendare volui quae ipsi auctores contra grammaticae regulas peccantes scripsisse videntur¹.

G. WAITZ.

1) Cf. quae exposui 'Sitzungsberichte d. Berl. Akad.' 1883. p. 113 sqq.